



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

XI. Quod nullus accedat ad monasteria monialium, & quod moniales non exeant claustrum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

ANNO  
CHRISTI  
1514.

pleat, vt debet, exnunc ipso facto excommunica-  
tus existat, & nihilo minus contra facientes priua-  
ti sint ipso iure priuilegiis & fauoribus huius Con-  
cilii, & omnium aliorum prouincialium Concilio-  
rum: cum non sit miles reputandus qui stigmata  
non habet, & frustra legis imploret auxilium qui  
committit in legem.

## RUBRICA XI.

Cum expediat Christi ancillas, quæ se claustra-  
libus ergastulis seu monasteriis dedicarunt a con-  
uersatione hominum esse semotas, statuimus, præ-  
cipimus & mandamus, quatenus ad ipsa ergastula  
seu monasteria nullus vir accedat sine petita licen-  
tia & obtenta sui episcopi. Si quis autem contra  
fecerit, pœnam viginti solidorum incurrat ipso fa-  
cto; etiamsi non intret intra claustrum monialibus  
tantummodo deputatum: quam pœnam si non sol-  
uerit infra mensem, postquam ad monasterium  
monialium accessum habuerit, excommunicatus  
ipso facto existat. Si vero fuerit religiosus, per men-  
sem ieiunet in pane & aqua bis in hebdomada, pu-  
blice comedendo coram fratribus, hora refectionis  
communis. Quod si pœnitentiam prædictam non  
inchoauerit infra mensem, postquam ad monaste-  
rium monialium accessum habuerit, vel inchoa-  
tam, vt præmissum est, non compleat, eo ipso ex-  
communicatus existat; & nihilo minus ad dictum  
ieiunium teneatur. Si autem intra claustrum seu  
locum monialibus deputatum intrauerit, sit ipso  
facto excommunicatus; monialis vero, quæ exie-  
rit claustrum, seu locum ei specialiter deputatum,



sine licentia habita & obtenta sui episcopi, licet clausuram sui monasterii non exierit, per mensem carceri deputetur, in quo de commisso pœnitentiam agat. Si autem clausuram ipsam exierit monasterii, pœnæ prædictæ subiaceat, & tamdiu plus in carcere remaneat, quamdiu stetit extra monasterium, & nihilo minus in hoc casu perpetuo sit vltima semper in choro, nullamque cum aliis habeat in capitulo vocem.

ANNO  
CHRISTI  
1114.

## R V B R I C A XII.

Cum sæpe in non matura ætate constituti, per cupiditatem & avaritiam parentum suorum, dignitates, officia, beneficia, vel præbendas, ad quæ minus sunt idonei, nonnunquam de facto adipiscantur, statuimus, quod si quis infra ætatem sexdecim annorum constitutus ex dispensatione sedis apostolicæ fuerit beneficium adeptus, quod requirat sacerdotalem, vel sacrum ordinem, aut etiam præbendam in ecclesia cathedrali provincie Rauennatis, nisi cum attigerit sextumdecimum annum ætatis se fecerit ad subdiaconatum promoueri infra annum, & alias postea promoveatur secundum ætatem, prout requirit onus ipsius beneficii, exnunc & ipso beneficio seu præbenda huiusmodi sit priuatus. Adulti vero, secundum iura & onera beneficiorum huiusmodi, postquam fuerint huiusmodi beneficia, aut in ecclesiis cathedralibus præbendas adepti, sub pœna & priuatione consimili, quamcitus commode poterunt, vel saltem infra annum, ad ordines ipsos stu-